



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 56. Ladislaus electus Bohemiæ Rex a Cæsare detentus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. dit eventus; pax enim composita, amicitia utrinque redintegrata, atque ad ex-terminandos litium, ac discordiarum auctores fides mutuo data.

§. LVI.

Ladislauſ electus Bohemiæ Rex a Cæſare detentus.

Ann. 1451. **S**upra memoravimus, quod Bohemi Ladislaum puerum antea Hungariæ Regem in suum quoque Principem elegerint; hinc jam Fridericum Cæsarem instanter urgebant, ut ipsorum Regem jam duodennem dimitteret, quo suis libere dominari posset. Ast Cæsar sive Ladislaum ob ætatis imbecillitatem sceptri regendi impotem crederet, sive demum tenerum hunc Principem Bohemæ nationis levitati, ac inconstantia committere diffideret, sæpe petatum, semperque denegatum apud se detinuit. Hac repulsa Bohemi, quibus insuper haud ignotum erat, Cæsarem decrevisse, Ladislaum secum in Italiam ducere, quo coronæ Imperialis sumendæ causa sese conferre parabat, adeo ad iram concitati fuere, ut generalem Regni conventum indicerent, quo alium sibi Regem eligere meditabantur. Fridericus his motus Legatos ad illos decrevit, Æneam Sylvium Senensem Episcopum, & Procopium Rabensteinium Equitem

*Æn. Sylv.
hist. Boh. c. 58
& epist. 130.*

quitem Bohemum. Ænea latine perorante, tam solidis argumentis Imperatoris juvenem Ladislaum penes se detinentis consilium vindicavit, ut Bohemi de æquitate facti persuasi, non solum Cæsaris voluntati cesserint, sed etiam ex sua nobilitate primarios adolescentes Bohemos dare decreverint, qui Fridericum in Italiam euntem comitarentur, & juvenem Regem cultu debito prosequerentur.

Secul. XV.
A.C. 1451.

§. LVII.

Descriptio Taboritarum ab Ænea Sylvio facta.

Confecerat Æneas Sylvius itineris sui ad Bohemos relationem, quam Carvajallo Cardinali ibidem Legato transmissit. Enarrat ibi, quid sibi suoque socio ad præfatum conventum euntibus in via apud Taboritas contigerit, quod sane ad dignoscendos hæreticorum mores, ac Bohemorum indolem ipsis perutile erat. Scribit itaque Cardinali: cum ego, meusque socius raptores, atque insidias in itinere aliquando timeremus, ad vicinos Taboritas potius, quam apud ceteros, equidem magis astutos, minus tamen crudeles pernoctare maluimus. Accepere hæc Taboritæ lætis animis, fidemque dederunt, nullum omnino damnum se nobis illaturos. Res, inquit, Æneas spectata

*Æn. Sylv.
epist. 130.*